

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Lapsus vbi? Quid feci? Aut officij quid omnium est? Emblema XVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Πῆ παρέβην ; τί δ' ἔρεξα ; τί μοι θεὸν ἐκ ἐτελοσθῆ .

Lapsus vbi ? quid feci ? aut officij quid omisum est ?

EMBLEMA XVII.



ITALICAE Samius seclæ celeberrimus auctor

Ipse suum clausit carmine dogma breui :

Quò prætergressus ? quid agis ? quid omittis agendum ?

Hanc rationem vrgens reddere quemque sibi .

Quod didicisse gruum volitantum ex agmine fertur ,

Arreptum gestant qua pedibus lapidem :

Ne cossent , neu transuersas mala flamina raptent .

Qua ratione hominum vita regenda fuit .

COMMENTARII.

ASTET vir cælum suscipiens, vola-
tui gruum sublimium inicitus: gruos

autem turmatim volitent, & singulæ lapide-
dem ynguibus apprehensum gestent: quod
quidem

quidem in hac figura non exprimitur, neque etiam colli & rostri breuitas cum forma gruuum satis congruit. Verum volatus gruuum litteram A, vel vt alijs magis attridet, v. *Φιλόν* delineari videtur ex quo Palamedem litteram *Υ*, inuenisse indicat Philostratus: & Hieronymus gruuum ordinem litteratum appellat.

II. LAERTIVS & Suidas scribunt, Pythagoram præcepisse, suos auditores domum repetentes, hunc versiculum pronuntiare:

Πῆ παρίβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δίων ἔκτελίσθη;

Constat enim omnem humane vite lapsū potissimum esse: aut cum transgredimur, id est, secus facimus quā oportet, quod est plus quam decet: aut quod omissum oportuit, neq; satis consideratē fecimus: aut omitimus quod erat faciendum. Priori errori responderet illud, *πῆ παρίβην; quid transgressus?* alteri verō, *τί δ' ἔρεξα; quid feci?* tertio, *τί μοι δίων ἔκτελίσθη; quid feci non cōueniens?* Erasimus in adagio, *Quid transgressus?* laudat plurimum hunc versiculum; & merito. Nam si sic exerceamur quotidie, fietur utiq; vt meliores, imō sanctissimi euaderemus. At tamen Erasimus, se nescire, cuius sit versiculus, quem apud Homerum non reperiat. Inuenies tamen illum in aureis Pythagoræ carminibus. Sic enim ille ibi:

Μὴ δ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδίζασθαι,

Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρεῖς ἕκασον ἱπελθεῖν,

πῆ παρίβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δίων ἔκτελίσθη;

Quæ interpretatus est Virgilius, siue quis quis fuerit auctor epigrammatis de viro bono, his quidem verbis:

Non prius in dulcē declinet lumina somnū,
Omnia quā longi reputauerit acta diei:

Quæ prætergressus, quid gestum in tempore,
quid non?

Cur isci factō decus absuit, aut ratio illi?
Versiculum verō ita explicauit Erasimus:

Lapsus ubi? quid feci? aut officij quid omis-
sum est?

Confer Hieroclis commentarium ad carmina Pythag. & Arrianum dissertationum Epicteti lib. 4. cap. 6. Refert hunc eundem versum Plutarchus in libello de Curiositate. Caterum gruuum cum lapillo depictam,

prudentiæ symbolum fuisse notum est, & Pierius refert 17. Hieroglyph. Docēt enim probatissimi auctores, lapillum gruues idē ferre, dum in sublime volāt, vt illius lapsu explorent, supra tetramene, an mare volūtes, quod ex sono intelligunt; ac proinde cōsidendum, an vterius progrediendum sit: Maxinus Tyrius disputatione 40. lapilli arrepti aliam rationem adfert, nimirum, quod propter imbecillitatem corporis, alasque parum sultas, instar nauis fluitent à ventis impulsæ: quod cum intelligunt, non antē se volatui credunt, quāni lapidē apprehēderint, firmamentum videlicet vacillatari volatus, salutisq; custodiam. Harum prudentiam cum non ignoraret cotidatus homo Deucalion, à diluuij fluctibus seruatum aiunt gruuum beneficio: quarum quidem superuolūtariū clangore admonitus enasauit, teste Paulania. Non erit huc conferre alienum, quod scitē & ad hunc locum accommodatē Plutarch, retulit lib.

Gruuum volatus.

πότερα τῶν ζῶων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἐνυδρα. sic enim habet: *ἢ δὲ γεράτων μετὰ βολῆ τῆς πῆσιτος πρὸς ἀνεμον, ἔκ ἐνός γίνεσιν ἰσίν, ἀλλὰ τὰ το κοινῆ πάντες ἰχθυες νοῦντες, αἰεὶ πρὸς κύμα καὶ ῥοῦν ἀντινήγονται, καὶ παρὰ σφύλαττες ἰσίν ἔπως μὴ καὶ ἐρᾶν προσφερομένη τεύ πνεύματος, ἢ λαπίς ἀναπυσομένη λυπῆ τὸ σῶμα γυμνάμαον καὶ διατραχυνόμενον. ἔθεν αἰεὶ συνήχουσιν ἑαυτὲς ἀντιπάρους. καὶ ζομένη γὰρ ἔτω καὶ καρυθῆν ἢ θάλασσα, τὰτε βραγχία κατασάλλει, καὶ καὶ τὸν ἐπικρατεῖς ῥεῖτα λείως πείθει, καὶ ἐκ ἀνίσσει τὸ φρικώδες. id est, Illa verō gnum ad ventum aciei computatio, non vnius, sed & vniuersi maritimi generis est: siquidem & astitum fluctusq; contra nasando niti, & eadem de causa aquaticis omnibus mos est: cauēt quippe ne ventus à tergo incumbens, squamas subrigat cieatq; atq; ita nudatum & exasperatum corpus vulneret. vnde in ventum, obnixique fluctibus cursum dirigunt: sic enim à vertice scissi fluctus & branchias cohibent, & per summa delati minus infestant, & horrorem non incutiunt. Hæc ille. Affcriberem alium locum non minus commodum ex eo, quem scripsit ipsemet de animal. solertia libro, sed indicare duntaxat hic mihi satis esto. Ammian. Marcellin. lib. 18. de Barbatione garrulo quodam nebulone, eodemque proditore: Ignorabat, inquit,*

Triplex hominum lapsus.

Aurea Pythagoræ carmina.

Gruuum symbolū.

quit, notum Aristotelis sapiens dictum, qui Callisthenem, sectatorem & propinquum suum, ad regem Alexandrum mittens, ei sepe mandabat, ut quam rarissimè & iucundè apud hominem loqueretur, vitæ potestatem & necis in acie linguæ portantem. Ne sit hoc mirum, homines profutura discernere nonnunquam & decencia, quorum mentes cognatas cœlestibus arbitramur: animalia ratione carètia salutem suam interdum alto tueri silentio solèr, ut exemplum est perquam notum: Linquentes orientem grues ob calorem, plagamque petentes occidentem, cum montem penetrare cœperint Taurum aquilis abundantem, timentes fortissimas volucres, rostra lapillis ocludunt, ne eis eliciat vel necessitas extrema clangorem: ipsæmq; collibus agiliore volatu transcurtis, proiecti calculos, atq; ita securus pergunt, &c. Nescio an huc conferre auium Virgilij illud ex 10. Æneid.

--- quales sub nubibus atris
Strimonia dant signa grues, atque aethera
trinant

Cum sonitu, fugiuntq; Notos clamore
secundo.

Vide Plin. lib. 10. cap. 23. Pierium Hieroglyphi. lib. 17. & Prouerb. Græcis lapidem deglutientes.

III.
Pythagoras
785.

ITALICÆ Samius, &c.] Pythagoram Italicorum Philosophorum sectæ auctorem fuisse testatur Cicero 1. Tuscul. & D. August. in lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 2. Dicitur Samius, quia ex insula Samo erat oriundus, Demarati mercatoris locupletissimi filius, ut quidam aiunt; quamquam Diogenes Laertius multos, ex multorum sententia, illius numerat patres. Multas peragravit regiones discendi causa; tandem Crotonem venit, Italicæ oppidum, Tarquinio Superbo regnante, tenuitq; Magnam Græciam cum honore & disciplina, tum etiam auctoritate: multaq; post sæcula sic vixit Pythagoreorum nomē, ut nulli alii docti viderentur. Primus omnium μετεμψύκωσιν inuenit, id est, animarum de corporibus in corpora transitum; ideoque venit carnibus vesci. Huius vitam pete ex Laertio, Plutarcho, Plin. lib. 2. Gellio lib. 1. cap. 9. & lib. 4. cap. 1. & lib. 17. cap. 21. De eo quoq; multa habet Ouid. Metamorph. vlt. in princip. Politianus in Lamia, Titus Livius lib. 1. ab V. C.

sectæ] Secta secundum Ciceronem 1. de Orat. est disciplina, vel certa quædam disciplina formula, factio, studium, ratio dogmatum, quam quis sibi imitandam proposuit: à sectando (ut quibusdam placet) dicta; vel ut alij volunt, à sectione, quod plerunq; dogmata à se inuicem sint diuisa.

Auctor] Num Pythagoras Italicæ sectæ auctor, vel autor fuerit, alijs disquirendū relinquo: certè hæc duo inter se differre vocabula vel ex eorum origine constat, est enim auctor, qui rem acceptam auget, & deducitur à Græco verbo αὐξω. Autor vero, qui aliquid ex se facit, nec ab alio accipit; deriuatum ab αὐτός.

Clauste suum dogma] Sapientiæ suæ vim omnem, aut certè præcipuam vno hoc carmine comprehendit & circumscriptit. Dogma est dictio Græca, significans sententiam, edictum, decretum, placitum cuiusque sectæ: dicitur ἀπὸ τῆς δοξῆς, quod est opinari. De dogmate vide plura in epist. 96. Senecæ.

Quò prætergressus?] quò transgressus? aut ultra quam decuit, fecisti? quod est NIMIS. Lege Prouerb. Quò transgressus?

Quid agis?] vel quid agebas? sic enim Græcè, τί δ' ἐπέξα; qui lapsus est in eo, quod PARVM.

Quid omittis agendum?] quid non decens à te factum est? quod est peccatum in bono omisso.

Hanc rationem vrgens] Volebat quisq; sibi apud se rationem hanc redderet. Idem penè de Sesto Seneca lib. 3. De ira, cap. 36. quem locum mox subiiciemus.

Quod didicisse gruum &c.] Ex volatu gruum prudentiam hanc in rebus agendis nobis proposuit, nimirum ἀσίστην ἔσθαι τῆς λογισμῶν ποιῆν ἢ προπεῖν ἀμὴν ὀρῆδες: ut veteri addiscant homines rationis participes, si deteriores se præstiterint auium in vitæ actionibus. Plinius Nat. hist. lib. 10. cap. 23. hæc de gruib; tradit: Certum est, Pontum tranfluolaturas primum omnium angustias petere inter duo promontoria, Criumetopum & Charambin; mox saburra stabiliri. Cum medium transierint, abijci lapillos à pedibus: cum attingerint continentem, è gutture arenam. Idem ait Solinus, & Cicero 2. de Natura Deor. Alciatus lib. 1. Parerg. cap. 10. exponens locum Pollucis, sic ait: Metaphora à gruib;

gruibus sumpta est, quæ in terram descen-
dunt furtiendi alicuius lapidis causa, quem
pede retinent, ut in alto volantes, eodem
demisso experiantur ex cadentis strepitu,
supra mare, an verò supra terram volitent,
ut Suidas, & Aristophanis interpretes in Api-
bus ostendit. &c. Contrarium tamen tenet
Aristoteles, cuius hæc sunt verba, in lib. 8.
de nat. animal, cap. 12. Sed avium grues
(ut dictum est) ex vlcimis in vlcima abeunt;
volant statu secundo. Quod de lapide nar-
rant, falsum est: Lapidem enim tenere eas
falcimento, quem vbi deciderit, accipi vti-
lem ad auri probationem aiunt. Hæc Ari-
stoteles. Quod de anseribus Marcellinus
scribit, rostra sua lapillis occludere, Tau-
rum montem aquilis abundantem, quas
maximè timent, de gruibus alii malunt.
Nostrum non est de hac lite pronunciare,
ut qui anseres nunquam ad passionem du-
xerimus, neq; gruum ordines ita curiosè
inspexerimus. Huc fortasse pertinet ver-
bum Gruere, siue, Congruere, à gruibus
ductum, quod significat convenire. Grues
enim se non segregant, siue cum volâr, siue
cum pascuntur, ait Festus.

Ex agmine] propriè: nam agmen prop-
riè multitudinem sese agètem significat.

Virgil.

Longum per valles pascitur agmen.

Ne cessent. &eat.] Reddit causam, cur
grues lapidem gestent, & eandem ad hu-
manam vitam applicat.

Mala flamina] venti aduersi, & im-
petuosi.

IV.

1. HVNC Pythagoræ versiculum in pri-
mis obseruari diligenter, & addisci cupe-
rem, ab ijs maximè, qui studia liberalia se-
clantur, & ex ijs fructum aliquem sperant
vberrimum. Permulti enim ex ijs peccant,
quod non satis attenti septa, ut ita dicam,
lectionis transiliunt, & alijs rebus animata
applicantes, non vident se abscedere ab eo
laudabili & ingenio instituto, cui nomen
dederunt. A. ij sunt, qui quanquam labo-
riosi, non sunt attenti satis, aut adijciunt ani-
mum ad que agunt. Alij dicitur; quæquæ
multa, & quidem sæpe diuque agant, ta-
men innumerabilia, aut certè multa præ-
termittunt in transactu, quæ ad instituti
laboris perfectionem valde conducerent.

Sed præstat Alciatum magistrum audire
citiùs, qui ita suos auditores adhortatus
est quadam prælectione, ab iisdem primùm

rogatus, qua præcipue methode in studio-
rum cursu esset videndum: Præcat nobis (in-
quit ille) vetustissimus Italicæ Philoso-
phiæ auctor Pythagoras, qui discipulos
suos carmine Græco, quod maximè neces-
sarium adipsæ scende discipline esset, admo-
nuit, quodque quotidie eos in ore habere
iussit. Id est eiusmodi: τὴν ἀρετὴν ἵκεν ἡ
ἐπιστήμη; τί μοι δὲόν οὐκ ἵπτατο; Eto-
nim hæc tria non tam præcepta, quam
oracula vnicuiq; nostrum semper ante oc-
ulos esse debent. In primis scilicet, ne qua in
re aut excidas, aut transuersus ab instituto
eramite feraris: quod ijs cõtingit, qui alijs
in rebus, animi intèctione occupata, ad scho-
las tamen accedunt, ut qui vel amore capti,
vel armis rixisq; cediti, vel alex lusuiq;
mancipati, vel artibus illicitis additi, scho-
lastici tamen nomen seruant. In hos An-
næus Seneca veteris Iurecõsulti verbis in-
uehitur: Etiam magna, inquit, pars vitæ ela-
bitur malè agentibus, maxima nihil agen-
tibus. Qui enim auribus solis præfentes,
mentem aliò intendunt, ij aliud agere La-
tini dicuntur. Alterum est, ut attendamus
ad id, quod agimus: ut cum quid boni à
nobis factum fuerit, magna voluptate af-
ficiamur: si verò quid malè veritè vide-
rimus, in futurum obstineamus. Etenim
præmium virtutis maximum ipsa est ani-
mi voluptas. Iste enim iuuenibus, qui in
sophisticis cauillationibus, vel legum opti-
marum ambagibus diuini immorantur,
rectè quis dixerit: Vide quid agas. Cuius
rei exemplum in huius anni lectionibus
accipi potest. Fuerunt florente Romano
imperio varii in eorum Republ. magistra-
tus, ut Præfecti prætorio, ut Proconsules,
ut Præfides prouinciarum, ut clarissimi,
ut spectabiles, ut illustres, & si qua alia sũt
huiusmodi nomina: Hæc hodie mutata
Reipub. forma exoleuerũt, nec vllò in vltà
permanerunt, sed vnusquisq; iudex eam
habet cognouationem, quæ sibi vel lege
municipij, vel Principis sui diplomate cõ-
cessa est. Ideoq; parum refert diutius in
veterum magistratuum muneribus digno
secundis versari. Bartolus certè & veteres
non vltra tres, aut quatuor lectiones hac
in re videntur consumpsisse. Quod si quis
maioris anni partem hoc in argumento
transigere velit, huic rectè præceptum Py-
thagoricum insulurabitur: Vide quid a-
gas. Superest tertium, ne quid agendum
omit-

ne qua-
dam.

1. Quod
eram, prof-
sus?

2. Quid
agis?

3. Quid o-
mittis a-
gendum?

Cõgruere
verbu.

Errores eo-
rum, qui
litteras ad-
discunt.

Locus Al-
ciati ex
prælectio-

omittamus: In quo sanè adeo peccant vniuersi studiosi, vt vix vllum superfit remedium. Et hæc quidem Alciatus: cuius dissertationem, & apertam dilucidamq; huius criminis explicationem huc attexere malui, quàm quidpiam aliud comminisci, aut aliundè minus opportunè conquirere.

*Præclarus
Seneca lo-
citur*

1. Deinde hoc idem ad vniuersam vitam humanam trahi posse nemo sanus non iudicat. Vidit hoc Seneca lib. 3. de Ira, cap. 36. cuius verba nō piger huc adicere: Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem. Natura patientes sunt, si animus illos desinat corrumpere, qui quotidie ad rationē reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die cū se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ita, & erit moderator, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excuriendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quàm tranquillius, altus, ac liber, cū aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui, censorq; secretus cognoscat de moribus suis? Vt hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est, & contigit vxor, moris iam mei conscia, torum die: mecum serutor, facta ac dicta mea remeior. Nihil m. hi ipse abscondo, nihil transeo, quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cū possim dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco, &c. Neq; est alienum etiam quod reclarum est apud Apuleiū 1. Florid, de Gymnosophistis loquens: Vbi, ait, mensa posita, priusquam edulia apponantur, omnes adolescentes ex diuersis locis & officiis ad dapem cōueniunt. Magistri perrogant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerit. Hic alius se cōmemorat inter duos arbitrum delectum sanata simulate, recōsiliata gratia, purgata suspicione, amicos ex insensu reddidisse. Itidem alius, sese parentibus quidpiam imperantibus obedisse, & alius aliquid meditatione sua reperisse, vel alterius demonstratione didicisse: deniq; ceteri commemorant. Qui nihil habet ad offerre, cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur. Non acquiesco, sed Senecæ verba produco, quæ mihi certè

*Apuleius
de Gymno-
sophistis.*

videntur non aliena à Pythagoreis, de quibus hæcenus. Magnam vitæ partem elabi nihil agentibus: maiorem malè agentibus: totam aliud agentibus. Certè Arrianus dissertationum Epicteti libro, scitè est interpretatus his penè verbis: *ὅτι παρὲς βίβης*; vbi omisi adulationem? quid reprehendi? num vt ingenuus? num vt generosus? Si quid autem eiusmodi deprehenderit, se ipsum increpat & obiurgat. Quid tua interstitia ista loqui? an mentiri non licebat? Philosophi enim asserunt, nihil prohibere, quo minus mendaciam efferatur. Tu itaque si nihil cures aliud, nisi vt rectè de rebus iudices, vbi mane surrexeris, ita tecum loquere: Quid mihi deest ad tollendas animi perturbaciones? quid ad tranquillitatē animi obtinendam? Sic Horatius Sat. 4. Ser. 1. ex persona sua docet, quo pacto quis se ipso melior euadat. Inquit enim:

*----- Neq; enim cum lectulus, aut me
Porticus excepit, desū mihi: rectius hoc est;
Hoc faciens vitam melius: sic dulcis amicis
Occurrat: hoc quidam non belle, numquid
ego illi*

*Imprudens olim faciem simile? Hac ego mecum
Compressis agito labris.*

Hæc pitisci illi tenebriones; Sed quid hos superna luce illuminari? quò labimur? quid agimus? quid non agimus? vbi est animus quotidianus speculator sui? vbi secreta actionum censura? Age mi homo, ad cunas mecum redi & crepundia: natiuitatis speculum accipe in manus sepius, & cōsidera generationis exordia: subeant defectus naturæ, corporis infirmitas, membrorum languor: perpende ortum ingloriorum & ignobilem, de maledicta stirpe & execrabili protoplasti, tu etiam, qui in fastigio gloriæ, nec ex colluue vulgi. Vade in penetralia & interiores recessus, & scrutare, si quid sanum ibi aut integrum; vires aliorum animantium, robur, ac arma confertuis: anfractus spectat & lubricum viæ, qua incedis: globum volubilem, cui insistis, gyrum rotæ, quæ te circumfert; fluxum temporis, qui ad senium præcipitat; curarum laborumq; turbinem, quo inuolueris; procellam fati deniq; & subitum impetum, qui prosterne, & catastrophæ imponit huic tragediæ. Cretam sume aut calculos, subduc rationes, omnia discite qua potes diligentia: scribe primò numerum eorum, quæ bona in te, tum quæ contraria inuen-

*Examen
sui.*

*Vita hu-
mana e-
xamen.*

xis: figuram circuli ibi relinques, mihi cecede, & orbicularem litteram, quæ nihil signat; hic accerum numerorum vix numerabilem. Multiplicabis per centurias, inquam, & chiliades malorum summam, ibi inter monades consistes: adeo nihil valoris in te, aut precii, aut ponderis. Meditare hæc, & fac quod mola: contunde & conterere, nec disipa tamen & ejice conclusa in farinatio cordis, nisi ventilata prius & purgata rationis cribro. Ita fiet, vt memoriam tui nunquam deponas aut noticiam, qua recente & florida, vanitatis aura euanesceat paulatim, quæ sumat in nobis, & è cloaca pectoris asurgit; & succrescent virtutum plantule vicissim, ac veræ deuotionis pulcherrimæ. Plurimum autem conducit irrigandis istis nouellis & producendis, discussio transactæ vitæ, vt dixi, & inspectio frequens: videre maculas & nequos, qui inhærent, aut adhærent coniunctio enim suboritur & rubore meliori sanguine, si vulnera animæ crudescant, & pateat deformitas. Quod ijs contingit, qui in speculis explorant faciem, cum defectus aliquis sese aperit, aut nota turpior, quæ dedecorat; pudore enim suffusi resiliunt, abiecto indice, & de remedio cogitant. Simile quid dani sentiunt, qui in seratinio suarum actionum occupantur, & colligunt analeceta flagitiorum. Latens morbus & incognitus, insauabilis; ad radicem enim non descendit remedij applicatio, vt euellat aut purget fontem mali: Idem planè in vitiorum hac cura accidit; dum occulta sũt, serpunt, senescunt, negliguntur: sanari possunt detecta. Fœneratoris sacculum comparemus conscientiam nostram, qui moneat claudit adulterinam & probam, neutra tamen agnoscitur, nisi deprompta, & ad lucem inspecta curiosius, vnde precium additur primum & æstimatio: De hoc genere fucato actiones nostræ sunt & opera, proba commixta reprobis; laxari oportet loculum seu crumenam cordis, vbi abscondita, & exiini, vt ad Lydium explorentur. Alii cum libello conferunt vel codice rationario, in quo bona continentur & mala nomina. Nec insciè hoc: referta est talibus

debitis nimirum charta hæc metris; suppuitandum, & inueniendus modus vt expungantur priusquam submittantur haste, & auctionentur bona: in cambium enim velut tradita sunt & vsuram, vt nummus nummum pariat, id est, vt ex vno vitio nouum suppullulet. Quò diutius tenemur obstricti, eò difficilior redimendi ratio; in quæstum enim obligamur, & in lucrum cedit, quod soluitur, si serò soluitur, nec ad præfinitum terminum. Ex asse vix liberatio, vbi mota, Faciamus maturè & in tempore, dum in capite consistit solutionis summa ad huc, nec excreuit. Sic tabula in manibus assidue & in conspectu, numeremus, componamus per artes, partium particulas, particularum partes, in minutias & atomos: ex his in caput denudè & massam integram, ne calculi error damno sit, aut seducat. Magna vtilitas profectò, imò necessitas potius hie arithmeticum esse, ac Platonis aut Pythagoræ discipulū, Mercator studiosè attendit, ne in rationibus subducendis aberrat: vbi negotium animæ & salutis agitur, ibi supputator oscitet aut dormiat? Ita fit tamen: res ipsa clamat & improbitas, quæ incrementa sumit in horas, vt torrens ab affluu niuium. Supina negligentia in eruendis hie scrutis & arca cordis purganda, communis ferè omnium: siluescit, cultoris ignauia, & in spinas luxuriat; nemo falcem immittit, fecat, aut stringit. In flore est malorum fecunditas, vereor ne ad maturitatem. O insurgat Aquilo diuini timoris, & demetat? Venite vos Zephyri cælestis gratiæ, perfate hortum hunc, vt lilia germinet & flosculos paradisi. Delabere o salutare collyrium, & perunge oculos, vt penetret acies, circumspiciat & obseruet, in hoc enim carido salutis voluitur. Ad lapsum proiecti sumus omnes, & sicut piscis ad natandum, ita nos ad peccandum proni. Si lux destituit ab alto, & subtrahat lucernam æternus Sol, quæ ad indagandum crimen & agnoscendum præfulgeat, iam Stygias oras tangimus pede, & obrutam in Cymmerijs tenebris.

Quantum
profit in
spectio
sui.

Fœnerato
ris saccu
lo simili
conscien
tia.

Libello ra
tionario.



Prudentes